



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv**

**More, Henry**

**Avdomari, 1660**

Vice Prouincia in Prouinciam erecta n. 6.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38320**

1623.

oportere se infra omnes abijci; & nullo loco reputati: Sed alia est de humilibus Dei cogitatio.

Vice-Pro-  
uincia in  
Prouinciâ  
crecta.

V. I.

Tertium iam annum Societas Anglicana sub Vice-Prouinciæ nomine militarat, cum *Murius* Generalis eandem in Prouinciâ crexit, his ad *Blondum* Româ datis literis.

Cum Dei benignitate numerus subditorum ad Vice-Prouinciâ Anglicanam pertinentium ita auctus sit, & inter hos tam multi sint Patres Professi, qui uti virtute & doctrina alijs non concedunt, ita etiam numero plures Prouinciâ exequant, iamque tandem præter domicilia in Belgio stabilita, alia etiam in ipso Angliæ regno sint instituta, (spesque sit alia quoque deinceps instituenda, visum tandem fuit, expensis rationibus nomine Congregationis nuper isthic factæ mihi propositis, satisfacere iusto desiderio optimorum Patrum quorum in tantis periculis tantum est in Dei gloria, & proximorum salute quærenda studium, & portionem illam Societatis, quæ huc vsque Vice-Prouinciæ nomine censa est iustam Prouinciâ constituere, eique V. R. Præpositum Prouinciâ præficere, uti facio literis Patentibus, quas vnâ cum hisce eidem tradendas spero. Diuina Prouidentia faciat ut cum hoc nominis incremento in omnibus studium propriæ salutis & proximorum ita augeatur, ut fructus quos huculque Socij copiosissimos in Vice-Prouinciâ collegerunt, longe adhuc copiosiores in posterum colligant. Ad quod cum plurimum R. V. caritatem & prudentiam conferre posse sciam precor benignissimum *Iesum*, ut studia conatusque eius omnes, vberioris gratiæ suæ præsidij prosequi dignetur: &c. Romæ vigesimo primo Ianuarij 1623.

Et certe tum nouo huius splendore nominis excitatis Patribus, tum per Hispanici coniugij continuatam tractationem metu persecutionis factæ leuiori, & Sociorum numerus ad quadraginta octo supra ducentos excreuerat, & ereptorum ex hæresi ad duo millia sexcentos: quin & nostrorum exercitia fuere liberiora: nam in domo Probationis Sancti *Ignatij* (quæ Londini fuerat anno altero proposita) Tyrones Sacerdotes septendecim Societatis rudimentis instituebantur, & in Collegio Beati *Aloysij* sæpius conuenire licuit, & omnia ad Collegiorum normam exigere, tempora, cubilia, mensam, & dominicis festisque diebus magno vicinorum concursu perorare. In reliqua verò Insula non segniter nostrorum ceteri in opus incubere, & fructus tulere quos diuina miseratio conatibus semper anterior, vberes subministrat.

Tyrones  
17. in do-  
mo S. Ig-  
natij Lon-  
dini.

Fructus  
caritatis in  
pauperes.

In pauperes quidam naturâ atque in miseros benignus, omnem præterea humanitatem videbatur exuisse vitijs immersus, quem cum multi ab annis sat multis retrahere conati fuissent, id is opere ipso ostendebat, quod ore quandoque proferre non verebatur, se neque Deum credere, neque metuere dæmonem: Spes igitur hoc monstrum hominis ad mentem reuocandi quæ esse potuit? qui cum maximè vrgeretur ratione, magna animi vociisque cōtentione clamabat, neque ieiunare, neque orare, neque omnino dolere se posse.